



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

5. Interrogatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

ut ad tuam cognitionem quocunque modo perveniat, si scis aut tibi indicatum fuerit synodalem causam esse & ad ministerium Episcopi pertinere, quod nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam ullatenus celare debeas Episcopo de Treveris aut ejus Misso, cui hoc inquirere jusserit, quandocunque te ex hoc interrogaverit. Sic te Deus adjuvet & istarum sanctorum reliquiarum.

Reliqui ita jurent.

Istud sacramentum quod iste juravit de synodali causa, quod tu illud observabis, in quantum scis aut audisti, aut ab hac die in antea inquisiturus es. Sic te Deus adjuvet.

Burchard.  
ibid. c. 93.

Allocutio Episcopi.

IV. Videte, fratres, ut Domino reddatis juramenta vestra. Non enim homini jurastis, sed Deo creatori vestro. Nos autem, qui ejus ministri sumus, non terrenam substantiam vestram concupiscimus, sed salutem animarum vestrarum requirimus. Cavete ne aliquid abscondatis, & ex alterius peccato vestra fiat damnatio.

Burchard.  
ibid. c. 94.

Post hæc ita per ordinem interroget.

V. 1. Est in hac parochia homicida, qui hominem aut spontanea voluntate, aut cupiditatis aut rapacitatis causa, aut casu, aut nolens, & coactus, aut pro vindicta parentum, quod fœdam dicimus, aut in bello, aut jussu domini, aut proprium servum occiderit?

Burchard. lib.  
1. c. 94.

2. Est aliquis parricida, aut fratricida, qui patrem, matrem, fratrem, sororem, avunculum, aut aliquem parentem interfecerit?

3. Est aliquis qui Presbyterum aut Diaconum aut aliquem Clericorum occiderit vel aliquo membro detruncaverit?

4. Est aliquis vel aliqua qui infantem proprium oppresserit vel vestimentorum pondere suffocaverit? & si hoc factum est ante baptismum aut post baptismum, aut si infans infirmatus per negligentiam parentis absque baptismo obierit.

5. Est aliquis vel aliqua qui alterius partum excusserit? vel si ipsa femina propria voluntate suum partum excusserit, & abortivum fecerit?

6. Est aliqua femina quæ in fornicatione concipiens, timens ne manifestaretur, infantem proprium aut in aquam projecit aut in terra occultaverit, quod morth dicunt.

7. Est aliquis qui uxorem suam absque lege aut certa probatione interfecerit?

8. Est aliqua femina quæ virum suum vel aliquem hominem per herbas venenatas vel mortiferas potiones interfecerit, vel alium hoc facere docuerit?

9. Est aliquis vel aliqua qui hoc fecerit vel alium facere docuerit ut vir non possit generare aut femina concipere?

10. Est aliquis qui proprium servum extra iudicem occiderit, & aliqua femina quæ ancillam propriam necaverit furore zeli inflammata?

11. Est aliquis qui diabolo impellente semetipsum occiderit?

12. Si in bello aliquis homines vulneravit, & nescit si de illo vulnere aliquis perierit, & si alicui imputatur quod hominem occiderit, & ipse hoc denegat.

13. Si aliquis est in consilio ut homo interficiatur, & non est in facto, & tamen per ejus consilium & exhortationem interfectus est.

14. Est aliquis qui truncationes manuum, pedum, linguæ, & testiculorum fecerit, & oculos alterius eruerit?

Deinde interrogandum de adulteriis  
& fornicationibus.

15. Si quis conjugatus cum alterius uxore adulteratus fuerit. Si qua uxor cum alterius viro.

16. Si quis uxorem habens, concubinam simul habuerit ancillam propriam aut aliam feminam.

17. Si quis uxorem legitimam dimiserit, & aliam in conjugium acceperit.

18. Si qua mulier virum proprium dimiserit, & alteri se conjunxerit.

19. Si interveniente repudio ab invicem separantur & sic manent.

20. Si quis absque consensu uxoris, derelicto legitimo conjugio, in monasterium intrat.

21. Si aliquis suam conjugem, quamvis culpabilem, sine Episcopi judicio relinquit.

22. Si qua mulier conscio viro suo fornicata fuerit.

23. Si quis uxore carens, cum alterius con-

juge fornicatus fuerit. aut si qua mulier non habens virum, cum alterius marito.

24. Si quis non habens uxorem, cum femina quæ virum non habet fornicatus fuerit.

25. Si laica virgo mœchata fuerit cum adulescente.

26. Si quis desponsatam puellam non duxerit, & fidem sponsaliorum fregerit.

27. Si quis alterius sponsam rapuerit & sibi sociaverit.

28. Si quis quamcunque feminam, virginem, aut viduam, per raptum traxerit, & sociaverit sibi matrimonio. & si aliqui sunt qui in hoc consentientes & adjuvantes fuerunt.

29. Si quis cum Judæa, vel si Judæus vel si paganus cum aliqua Christiana mœchatus fuerit.

30. Si quis factimoniam vel viduam Deo sacratam rapuerit & in conjugium sumpserit, vel ipsis consentientibus cum eis fornicatus fuerit.

31. Si quis vivente marito conjugem illius adulterasse accusatur, & eo in proximo defuncto eandem sumpserit dinoscitur.

32. Si aliqua mulier dicit quod vir ejus non possit cum ea coire, & ob hanc causam discordium quærit, & alium virum vult accipere.

33. Si quis cum matre spiritali mœchatus fuerit, vel eam in matrimonium accepit, similiterque cum filiola quam ex sacro fonte suscepit aut ante Episcopum tenuit.

34. Si quis propinquam & consanguineam suam in matrimonium accepit, aut cum ea fornicatus est.

35. Si

35. Si aliquis inrationabiliter, id est, contra naturam, cum masculis & mutis misceatur animalibus.

36. Si qua mulier lenocinium fecerit.

37. Si aliquis in sua domo consentit cum propriis ancillis vel genecariis suis adulterium perpetrare.

De furto & sacrilegio.

38. Interrogandum si aliquis fur aut sacrilegus sit, qui Ecclesias Dei infregerit, vel aliquid de Ecclesia furatus sit, aut publicè rapuerit, aut latenter subriperit, aut aliquis rapax & raptor & deprædator Ecclesiæ Dei est. Quamvis enim hæc secundum legem humanam emendari debeant atque exsolvi, tamen pœnitentia ad Episcopum pertinet.

De perjurio.

39. Interrogandum si aliquis perjurus sit, aut si sciens & pro cupiditate terrena perjuraverit. & si nesciens aut coactus jussu senioris, aut pro membris & vita redimenda, aut si quis scienter non solum perjuraverit, sed etiam alios in perjurium induxerit.

De falso testimonio.

40. Interrogandum si aliquis scienter contra aliquem falsum testimonium protulerit, quia hoc capitale crimen est, & quale damnum aliquis per hanc testificationem habuerit.

41. Interrogandum si aliquis hominem liberum, aut servum alterius, aut peregrinum

O

& adventitium furatus fuerit, aut eum blati-  
diendo seduxerit & vendiderit, & extra pa-  
triam in captivitatem miserit, aut si aliquis  
Judæo vel pagano Christianum mancipium  
vendiderit, aut si ipsi Judæi Christiana man-  
cipia vendant.

De incantatoribus & fortilegis.

42. Interrogandum si aliquis magus, ha-  
riolus, aut incantator, divinus, aut fortilegus  
sit.

Burchard. lib.  
10. c. 32.

43. Si aliquis vota ad arbores vel ad fontes  
vel ad lapides quosdam quasi ad altaria faciat,  
aut ibi candelam seu quodlibet munus deferat,  
velut ibi quoddam numen sit quod bonum aut  
malum possit inferre.

Burchard. lib.  
1. c. 94. §. 43.  
& lib. 10. c.  
18.

44. Perscrutandum si aliquis subulcus vel  
bubulcus sive venator vel ceteri hujusmodi  
dicat diabolica carmina super panem aut her-  
bas & super quædam nefaria ligamenta, &  
hæc aut in arbore abscondat, aut in bivio aut  
in trivio proiciat, ut sua animalia liberet à pe-  
ste & clade, & alterius perdat. quæ omnia ido-  
latriam esse nulli fidei dubium est. & ideo  
summopere sunt exterminanda.

Burchard. lib.  
1. c. 94. §. 44.  
lib. 10. c. 29.

45. Perquirendum si aliqua femina sit qua  
per quædam maleficia & incantationes men-  
tes hominum se immutare posse dicat, id est,  
ut de odio in amorem, aut de amore in odium  
convertat, aut bona hominum aut damnet  
aut subripiat. Et si aliqua est quæ se dicat cum  
dæmonum turba in similitudine mulierum  
transformata certis noctibus equitare super  
quosdam bestias & in earum consortio adnu-

DE ECCLES. DISCIPLINIS. 211  
meratam esse, hæc talis omnimodis ex paritæ-  
chia eiciatur.

De morticinis & sanguine.

46. Interrogandum si aliquis sanguinem, morticinum, aut dilaceratum à bestia comedat.

Burchard. lib.  
1. c. 94. 5. 45.  
& se 19.

47. Si aliquis per odium ad pacem non revertitur, aut juravit, quod Deo contrarium est, ut fratri nunquam reconcilietur. quod est peccatum usque ad mortem.

48. Si aliquis bibit de liquore in quo mustela vel mus sive aliquod immundum animal necatum est.

49. Si aliquis jejunium quadragesimale non observat, vel quatuor temporum, sive Letaniam majorem vel rogationum, sive indictum ab Episcopo jejunium pro quacunque plaga.

50. Si aliquis est qui bibit aut manducat aut portat super se quod existimat Dei iudicium pervertere posse.

Burchard. lib.  
10. c. 25.

51. Si aliquis in Kalendis Januarij aliquid fecit quod à paganis inventum est, & dies observat, & Lunam, & menses, & horum effectiva potentia aliquid sperat in melius aut in deterius verti.

Burchard. lib.  
10. c. 17.

52. Si aliquis quodcunque opus inchoans, aliud ibi aliquid dicit, aut quacunque magica arte aliud facit, nisi, ut Apostolus docet, omnia in nomine Domini facienda. Neque enim dæmones in nostro auxilio debemus invocare, sed Deum. In collectione similiter herbarum medicinalium symbolum & orationem



dominica[m] dicere oportet, & nihil aliud.

53. Quærendum etiam si mulieres in lanificiis suis vel in \* ordiendis telis aliquid dicant aut observent nisi, ut supra dictum est, omnia in nomine Domini.

\* Edit. Hel.  
m. ad. ordi-  
nandis

54. Si quis oblationes, id est, eleemosynam parentum defunctorum, injustè retinet.

55. Si aliquis super mortuum nocturnis horis carmina diabolica cantat, & bibit, & manducat, & quasi de ejus morte gratulatur, & si alibi mortui in vigiliis nocturnis nisi in Ecclesia custodiuntur.

56. Si aliquis Christianus est qui non communicet vel tribus temporibus in anno, id est, Pascha, Pentecosten, & Natale Domini, nisi pro mortiferis criminibus Episcopi vel sacerdotum judicio à communione fuerit remotus.

57. Est aliquis qui in die dominico vel in præcipuis festivitibus quicquam operis faciat; & si ad Matutinas & ad Missam & ad Vesperas his diebus in prætermisè omnes occurrant.

58. Si aliquis excommunicatus pro nihilo duxerit excommunicationem, & si aliquis cum excommunicato communicaverit.

59. Si aliquis modum pœnitentiæ sibi injunctum non custodierit.

60. Si aliquis patrem aut matrem inhonorat, aut percutit, aut maledicit.

61. Si aliquis vomitum post acceptam eucharistiam per ebrietatem fecerit.

62. Si aliquis est qui suam decimam Deo & sanctis ejus retrahat.

63. Si aliquis est tam perversus & à Deo

alienus ut saltem dominica die ad Ecclesiam non veniat.

64. Si porcarij & alij pastores dominica die ad Ecclesiam veniant & Missas audiant. Similiter in aliis festis diebus.

*Ita editio Helmestadiensis & Burchardus lib. 1. cap. 94. §. 63. Codex verò Parisiensis ita habet: Si porcarij ---- veniant. Similiter præcipuis festivitibus. Codex M S. monasterij Rivipullensis, in quo continentur decreta Eutyhiani Pape: Si porcarij & alij pastores dominica die ad Ecclesiam non veniant & Missam non audiant. Similiter & in aliis festivitibus.*

65. Si aliquis ad confessionem non veniat vel una vice in anno, id est, in capite quadragesimæ, & pœnitentiam pro peccatis suis suscipiat.

66. Si quis est qui assiduam ebrietatem sectatur. Neque enim ebriosi regnum Dei possidebunt.

67. Si aliquis est qui contempto suo Presbytero in aliam parœchiam venit ad Ecclesiam, & ibi communicat & suam decimam dat.

68. Inquirendum de mendicis qui per patrias discurrunt, & si unusquisque pauperem de familia sua pascat.

69. Si in unaquaque parœchia Decani sunt per villas constituti, viri veraces, & Deum timentes, qui ceteros admoneant ut ad Ecclesiam pergant ad Matutinas, Missam, & Vesperas, & nihil operis in diebus festis faciant. & si horum quisquam transgressus fuerit, statim Presbytero adnuntient. similiter & de

Burchard, lib. 1. c. 91. §. 68. & seqq.



luxuria & omni opere pravo.

70. Si aliquis est qui bannum Episcopi aut Presbyteri sui & excommunicationem parvipendens, pro nihilo ducat.

71. Si parræchiani Presbytero suo debitum honorem impendant, aut si aliquis est qui eum verbo vel facto inhonorat & ejus monita spernit.

72. Si aliquis est qui peregrino aut viatori hospitium contradicit.

73. Inquirendum quas festivitates colant.

74. Si patrini filioliis suis symbolum & orationem dominicam insinuant aut insinuari faciunt.

75. Si quatuor aut quinque vel plures unum interfecerint hominem.

76. Si aliquis est qui contradicit Episcopo aut ejus ministris ne coloni aut servi propter commissa crimina virgis nudi cædantur.

77. Inquirendum si aliquis peregrinum, qui de sua patria propter paganorum infestationem vel persecutionem fugit, hac de causa quia in domo ejus mansit, & diebus aut annis loco mercenarij illi servivit, pro proprio servo illum velit habere, & vendere aut dare alicui præsumat.

78. Si aliquis est qui injusta mensura suam annonam aut vinum vendat, cum Dominus dicat: *Æquus tibi sit modius & sextarius æquus.*

79. Denuntiandum etiam quàm magnum piaculum sit usuras exigere & de alieno fœnore velle ditescere, & quòd sacri canones tales ab Ecclesia eici præcipiant.

80. Si aliquis propter cupiditatem Judæum aut paganum interfecerit.

81. Si aliquis infaniens aliquem hominem occiderit.

82. Si quis arborem inciderit, & dum operi necessario infistit, aliquis subtus arborem deveniens improvise opprimitur.

83. Si quis conjurationes & conspirationes sectatur.

84. Si quis Ecclesiam aut Clericum fatigare præsumit.

85. Inquirendum de refugis & perfidis laicis.

86. Percunctandum de confratriis & fraternitatum societatibus qualiter in parrocchia agantur.

87. Si cantica turpia & risum moventia aliquis circa Ecclesiam cantare præsumit.

88. Si aliquis in Ecclesiam intrans, fabulis vacare consuevit, & non diligenter auscultat divina eloquia, & si antequam Missa finiatur, de Ecclesia exit.

89. Si oblationem, id est, panem & vinum, viri & feminae ad Missas offerunt; & si non viri, conjuges pro illis offerant, pro se suisque omnibus, ut in Canone continetur.

Capitula hæc quæ per ordinem adnotavimus, canonicis oportet roborari decretis.

De pœnitentia homicidarum. *Ex Concilio Triburiensi.*

VI. Ut pœnitentia super homicidiis non diverso more, ut prius, sed in episcopis singulis uno more agatur.